

si possunt, dicere debent. De hoc, quod dicit *post abbatem* intelligitur, sive sit juxta abbatem, i. e. in secundo loco ab abbate, sive tertio sive etiam in quarto loco steterit post abbatem [intelligitur esse]. Et hoc, quod dicit *psalmos vel antiphonas post abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponant*, jam diximus, sed iterum recapitulamus pro eo, quod secundum consuetudinem provinciae suae dixit. Forte dicit aliquis: ideo ita dixit, quia forte fuit consuetudo suae provinciae, imponere unum antiphonas, sicut in ecclesia mediolanensi diaconus solet antiphonas imponere. Et pulchre de significatione horarum istud capitulum constituit, quia nisi sollicitudo esset de signo tangendi, magna negligentia esset, eo quod ipse Pater Benedictus non omni tempore aequaliter dicit, cantare tertiam et nonam. Et hanc curam non aliis constituit, nisi abbati aut fratri sollicito; debet enim abbas hanc curam committere fratri sollicito, qui studiose peragere possit. Unde debet abbas illi sollicito talem licentiam donare, ut etiam si pro se aut forte pro hospite aut aliquid tale non potuerit occurrere horis competentibus ad officium, non exspectant propter ipsum fratres, ut non impleant officium constitutum, mox ut significatae fuerint horae diei atque noctis, quia magnum malum murmurationis esset, si pro sui exspectatione neglectum fuerit studium horarum, et officium non compleatur horis congruis atque statutis temporibus.

*Cap. XXXXVIII.*

DE OPERE MANUUM QUOTIDIANU.

Quia non uno modo omnes ipsa opera agunt, dicit B. Augustinus in libro, qui vocatur *de opere monachorum*,<sup>1)</sup> hoc modo: *Aliud est enim, corpore laborare animo libero, sicut opifex potest, si non sit fraudulentus et avarus et privatae rei avidus; aliud autem ipsum animum occupare curis colligendae sine corporis labore pecuniae, sicut sunt vel negotiatores vel procuratores vel conductores; cura enim praesunt*

<sup>1)</sup> cap. 15. n. 16.